

VVOLFFGANGVS PALATINVS BIPONTINVS.



Volffgangus filius fuit Ludouici principis Bipontini. Hunc pater in religione & pietatis studijs optimè educari, atq; in bonis literis institui curauit. Itaq; factū ut uirtutibus conspicuus insignis princeps euaserit. Hic postea patri in gubernatione sucessit, atq; Philippi Landgrauij filiā uxorem duxit. Cum hoc modo adolescens princeps Biponti summa laude rebus præcesset, Carolus Imperator eum dilexit, atq; ex Belgis Ratisbonam iturus apud eum diuertit, sub initiū anni 1546. eius uxor tum erat puerpera. Verūm Cæsar eam inuisit, & benignissimē collocutus in gynecæum illius dona distribuit: ipsi uero dominæ, quod ea dignum munus non haberet ad manus, Spira deinde misit. Postea uero cum bellum Smalkaldicum in Germania exortum esset Vuolffgangus neutrarum partium fuit, uerūm se & subditos domi continuit. Cum enim Euangelicā doctrinam profiteretur, Protestantibus aduersari noluit, nec etiam Cæsarē offendere, quem sibi amicum iam antea cognouerat.